

*Definitio relatiuorum pronominum.*

Art. XI.

**D**Vplex est relatiuum, aliud essentiæ; aliud accidentis.

*Definitio relatiui essentiæ.*

**R**Elatiuum essentiæ est; quod naturam rei refert, demonstratque, siue, ut entem, siue, ut existentem, ut homo, qui est.

DECLARATIO.

**G**rammatici diuidunt relatiuum, in substantiæ & accidentis; & dicunt relatiuum substantiæ, quod refert nomen substantiuum: ut labor, quem suscipis, est durus; ubi ly quem refert hoc substantiuum labor. Sed relatiuum accidentis refert adiectiuum. Nam etsi aliquando adiectiuum est substantiale ut animatus, & rationalis; nihilominus grammaticaliter se habet ut accidens. Sed profecto non semper ita se babet. Nam si dico Petrus & homo qualis es tu; idem valet atque Petrus est rationalis qualis es tu: & ly homo est substantiuum, & rationalis adiectiuum. Quapropter in comparationibus relatiuis non utuntur logici relatio accidentis, sed potius adverbio similitudinis, sicut, & velut: ut tu es homo, sicut ego: quamuis ly sicut omnes notas comparationis supplet in referendo. Propterea nos diximus relatiuum essentiæ; ne nominibus grammaticalibus potius quam rebus consuleremus.

*Distinctio relatiui substantia.*

Relatiuum substantiæ est duplex. Si identatis, & diuersitatis.